

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0286

0284

0290

0280

0295

0275

0335

0235

0385

0185

0785

Ende

Anfang

274

sanctae fuerint Hospitalarii in Jerusalem, tamen non erat ordo.  
Legitur etiam, ut superius fol. 268 dixi, quod ante Gothfridum  
de consensu Soldani Christiani latini aedificaverint prope  
ecclesiam dominici sepulchri propter peregrinos monasterium  
virorum, in quo hospitio recipiebantur viri peregrini, postea  
propter frequentem adventum foeminarum peregrinarum aedi-  
ficatum est aliud monasterium, in quo manebant foeminae  
peregrinae. Postea vero confluente multitudine, cum non  
possent dicta monasteria ad receptionem tantae multitudinis  
sufficere, fecerunt abbas et monachi quoddam hospitale prope  
eam capellam in honorem beati Johannis Eleemosynarii, qui  
fuerat patriarcha Alexandrinus, vir summae pietatis, et in illo  
hospitali manebant peregrini, et de utroque monasterio mini-  
strabantur eis necessaria per monachos et moniales, quos puto  
fuisse ordinis S. Benedicti, quia fuerunt Latini in utroque  
monasterio, nec adhuc inchoatus fuit ordo Hospitaliariorum.  
Procedenti autem tempore, cum terra sancta recuperata fuisse-  
set et rex tertius Latinorum, Balduinus, pacem terrae dedis-  
set, confluxerunt in magna copia peregrini ad Jerusalem,  
unde abbas monasterii pro virorum servitio deputavit quen-  
dam nobilem virum, qui se ad hoc voluntarie mancipaverat,  
Gerhardum nomine. Abbatissa vero pro servitio foeminarum  
quandam nobilem Romanam instituit. Hae duae personae  
Deo votae praedicto abbati obedientiam sovebant, secundum  
modum vivendi hospitaliter sc. viventium congruum, eis ab  
abbate de consensu patriarchae Jerosolymitani praefixum.  
Eratque vestitus eorum in officio divino mantellum nigrum  
cum alba cruce, et augmentati sunt in tantum, ut per mun-  
dum grandia monasteria constituerentur, quia religiosissimi  
erant nec malum fieri sinebant. Duplici autem nomine ap-  
pellari coeperunt: quidam eos nominabant Hospitalarios, quia  
magisterium hospitalis habebant; alii eos nominabant Johan-  
nitas, propter sanctum Johannem Eleemosynarium, cui hospi-  
tale Jerosolymitanum dedicatum erat, et hoc nomen usque  
hodie retinent, et ob majorem reverentiam suam S. Johannem  
Baptistam in patronum susceperunt, postquam insulam Rhodum  
possederunt, sicut et regulam beati Augustini profiteri coepe-  
runt post eorum expulsionem a Jerusalem, quia, dum erant

